

1493 steret : vel difficultate atque magnitudine belli gerendi adolescens , neque rei militaris gnarus , absterreretur : vel aliqua interposita mora , atque a cæteris regibus impedimento explicare se non posset : respondit , *se quidem omni tempore pacem bello prætulisse , optareque ut & ipse quiesceret , & reges principesque Italos quiescere permetteret : sed si veniat , ea de causa nihil moturam , neque ab ejus amicitia recessuram .* Pero ( id enim erat ei nomen ) accepta civitatis voluntate Romam abiit : eumque alii postea regis interpretes duo paucorum mensium spatio cum eisdem fere mandatis separatim sunt subsecuti : quibus interpretibus idem est responsum datum , quod Pero ante acceperat . Sed omnino ad eam belli ab rege capessendi causam , quæ ab illis prædicabatur , quod ei regnum Neapolitanum hæreditatis nomine deberetur , etiam aliæ cauſæ accedebant : ex quibus una hæc fuit . Galeatio Sforzia , qui Mediolani regnum obtinebat , complures ante annos per insidias imperfecto , Ludovicus frater , uxore Galeatii e regni procuratione ( quam illa , ut Joanni Galeatio filio suo admodum parvulo , in fide atque officio civitatem contineret , post viri mortem susceperebat ) reliquisque administris paulatim dejectis , ipse se ei rei præposuerat , annosque tresdecim præfuerat : fratris autem filium , cui se regnum procurare præ se ferebat , ita porro aluerat , iisque moribus instituerat , ut omnem curam videretur adhibuisse , ne puer ullam ad frugem perveniret : non rei militaris , non literarum studia , non denique artem ullam & disciplinam regiam edoceri illum voluerat , adhibitis etiam ad puerile ingenium depravandum corruptoribus , quorum ille convictu in omnem luxum atque inertiam assuefieret . Ei nondum plane puberi Alfonsus Ferdinandi regis filius Isabellam filiam in matrimonium collocaverat , ex eaque is etiam liberos procreaverat , ad regni tamen sui gubernaculum a patruo nullam in partem admittebatur . Id cum graviter ferret non Alfonsus modo sacer , affiduis prope filia literis lachrymisque permotus , sed multo etiam magis avus Isabellæ Ferdinandus ,

*Neapolitanæ belli cauſæ.*